MISSA PROPRIA

De Septem Doloribus Beatæ Virginis MARIÆ

Celebranda feria ſexta poſt Dominicam Paſsionis.

Si hoc Feſtum occurat cum alio duplici primæ vel ſecundæ Claſſis, transfertur ad Sabbatum ſequens: quod ſi ſit impeditum alio Feſto Novem Lectionum, illo Anno omittatur, & nunquam transferatur ad tempus Paſchale.

INTROITVS.

STabat juxta Crucem IESV Mater eius, & Soror Matris eius Maria Cleophæ, & Salomei & Maria Magdalenæ.

Verſ: *Mulier ecce Filius tuus, dixit Ieſus. ad diſcipulum autem, ecce Mater tua.* Verſ: *Gloria Patri & Filio.*

Gloria in Excelſis.

ORATIO.

DEus, in cuius Paſſione, ſecundum Simeonis Prophetiam, dulciſſimam animam Glorioſæ Virginis & Matris Mariæ doloris gladius pertranſiuit, concede propitius, vt qui transfixionem eius & Paſſionem venerando recolimus, glorioſis meritis & precibus Omnium Sanctorum Cruci fideliter aſtantium intercedentibus, Paſſionis tuæ effectum felicem conſequamur. Qui viuis & Regnas cum Deo Patre.

Lectio Libri Iudith.

BEnedixit te Dominus in virtute ſua, qui per te ad nihilum redegit inimicos. Benedicta es tu à Domino Deo excelſo. Præ omnibus Mulieribus ſuper terram. Benedictus Dominus, qui creauit cælum & terram, quia hodie Nomen tuum ita magnificavit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum pro quibus non pepercisti, animæ tuæ propter anguſtias & tribulationes generis tui, ſed ſubveniſti ruginæ ante conſpectum Dei noſtri.

Graduale. Doloroſa & lachrymabilis es Virgo Maria ſtans juxta Crucem Domini Ieſu Filij tui Redemptoris. Alleluia, All: Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit Orbis hoc Crucis fert ſupplicium vitæ vitæ factus homo. Alleluia.

Poſt Septuageſimam, omiſſo Alleluia, dicitur Tractus.

Stabat Sancta Maria cæli Regina, & mundi Domina, juxta Crucem Domini noſtri IESV Chriſti doloroſa. ℣. O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.

Sequentia dicenda in die Feſtiuitatis tantum & omittenda in Miſſis votivis.

STabat Mater doloroſa,
Iuxta Crucem lacrymoſa,
Dum pendebat Filius.
Cuius animam gementem,
Contriſtantem & dolentem,
Pertranſivit gladius.
O quam triſtis & afflicta,
Fuit illa benedicta,
Mater vnigeniti.
Quæ mærebat, & dolebat,
Et tremebat cùm videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis eſt homo qui non fleret,
Chriſti Matrem ſi videret,
In tanto ſupplicio?
Quis non poſſet contriſtari,
Piam Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio.
Pro peccatis ſuæ gentis,
Vidit IESVM in tormentis,
Et flagellis ſubditum.

Vidit

Vidit suum dulcem natum
Morientem, desolatum,
Dum emisit Spiritum.
Eia Mater fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, vt ardeat cor meum
In amando Christum DEVM,
Vt sibi complaceam,
Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas.
Cordi meo validè.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum diuide.
Fac me vere tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Iuxta Crucem tecum stare,
Te libenter sociare,
In planctu desidero.
VIrgo Virginum præclara,
Mihi iam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac vt portem Christi mortem
Passionis eius sortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari.
Ob amorem filii.
Inflammatus, & accensus,
Per te Virgo sim defensus,
In die iudicij.
Fac me cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri,
Confoueri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac vt animæ donetur
Paradisi gloria, Amen.

IN *Missis votivis tempore Paschali, Alleluia, Alleluia.* ℣. Stabat Sancta Maria cæli Regina, & mundi Domina juxta Crucē Domini nostri IESV dolorosa, Alleluia. ℣. O vos omnes qui transitis per viam attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus Alleluia.

Sequentia S. Evangelij secundum Ioannem.

IN illo temporæ. Stabat juxta Crucem Iesu Mater eius, & soror Matris eius Maria Cleophæ & Maria Magdalenæ cum vidisset ergo Iesus Matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ, Mulier ecce Filius tuus, deinde dicit discipulo ecce Mater tua, & ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Credo. *Offertorium.*

REcordare Virgo Mater Dei dum steteris in conspectu Domini, vt loquaris pro nobis bona & vt auertat indignationem suam à nobis. *Secreta.*

OFferimus tibi preces & hostias Domine Iesu Christe, humiliter supplicantes vt qui transfixionem dulcissimi spiritus Beatæ Mariæ Matris tuæ precibus recensimus, suæ, hominisq; sub Cruce sanctorum consortium multiplicato pijssimo interuentu meritis mortis tuæ meritum cum beatis habeamus. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in vnitate &c.

Præfatio & te intransfixione.

COMMVNIO.

FElices sensus Beatæ Mariæ Virginis, qui sine morte meruerunt Martyrij palmam sub Cruce Domini.

Post Communio.

SAcrificia quæ sumpsimus Domine, Iesu Christe, transfixionem Matris tuæ & Virginis deuote celebrantes, nobis impetrent apud clementiam tuam omnis boni salutaris effectum. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in vnitate &c.

IN FESTO S. ROSÆ VIRG: Limanæ. *Missa,* Dilexisti iustitiam, *vt in Communi XXIII.*

ORATIO.

BOnorum omnium largitor omnipotens Deus, qui Beatam Rosam cælestis gratiæ rore præventam, virginitatis & patientiæ decore Indis florescere voluisti: da nobis famulis, ut in odorem suauitatis eius currentes Christi bonus odor effici mereamur. Qui tecum vivit & regnat.